







1703 33<sup>n</sup> XXVIII. 126  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE

**QVASI EMAN-  
CIPATIONE GER-  
MANORUM,**

*Occasione Reformationis Francofurt. Part. II. tit. 1. §. 9.*

QVAM

IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE, ELECTORATUS, AC PROVIN-  
CIARUM HEREDE, ET RELIQUA,  
P. R A E S I D E

**DN. CHRISTIANO THOMASIO,**  
JCTO, S. REG. MAJ. BORVSS. CONSIL. PROF. PUBL.  
ET FACULT. JURIDICAE DECANO,

PRO GRADU DOCTORIS  
PRIVILEGIISQUE IN UTROQUE JURE OBTINENDIS,  
D. VIII. Septembris A. M DCCIII. horis locoq; consuetis  
Publico Eruditorum Examine submittit

**ZACH. CONR. UFFENBACH,**  
MOENO-FRANCOFURTANUS.

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.



xxx

OVASI EMAN

CIPATIONE GER

MANORUM

Doctoris Johannis Baptistae ...

GRAM

FRIDERICO ERIBRICIANA

FRIDERICO ERIBRICIANA

FRIDERICO ERIBRICIANA

FRIDERICO ERIBRICIANA

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO

FRIDERICO WILHELMO







B. C. D.

§. I.



St communis sententia Communis  
Istorum Germanorum, do- sententia  
ctrinam Juris Romani de emanci- Istorum  
patione, uti omnia aut saltem ple- de usu e-  
raque reliqua ejus juris capita, mancipati-  
quod ajunt, hodie in Germania, onis in fo-  
ris Germ.  
esse in viridi observantia, sed in eo

tamen jus nostrum differre, quod mores nostri novos quosdam modos tacitæ emancipationis superinduxerint juri Romano, isti incognitos, separatam oconomiam & nuptias liberorum, quibus alii addunt liberorum majorennitatem. Quomodo vero hi modi obtineant, varie inter se dissentiunt, cum & in his quæstionibus alii Jus Romanum applicare & ex eo fontem decisionis sumere velint, alii ex Novellis Leonis definitiones suas hauriant; alii extextibus Juris Saxonici rationes decidendi petant, ita tamen, ut fere ubique judicium desideres, cum ferè ubique misceantur quadrata rotundis.

Az

§. II. Si



Methodus  
dicendorū.

Si quis itaque in hoc Doctorum labyrintho absque metu seductionis progredi velit, ante omnia filo Ariadnei opus erit, ut & Jus Romanum cum suis conclusionibus seorsim consideret, & deinde jura Germanorum secundum mores antiquos expendat; tum denique pensitet, quid juri patrio additum fuerit hac parte per introductionem juris Romani in Academies & forum; & ex his distinctis meditationibus deinde ostendat palpabiliter Doctorum confusionem.

## §. III.

Patria potestas Romanorum differebat maxime à moribus aliarum gentium.

Jure Romano patria potestas erat nomen juris plene singularis, quod maxime differens esset a jure patrio reliquarum gentium cognitarum, Græcarum potissimum. Innuit id summatim Imperator in Institutionibus, sed plenè per circumstantias scitu maxime necessarias totum negotium illustrat Dionysius Halicarnassensis, Historicus & judiciosissimus & fidelissimus, quem adeo non pigebit ad meliorem intellectum dicendorum describere, cum nec melior sit Commentarius ad intelligendam sententiam Justiniani a nonnullis impugnata, ac si vera non scripsisset. Ita vero Dionysius *lib. 2. Antiqu. Rom. c. 27. 28.* *Quæ ad verecundiam & æquitatem liberorum attinent, ut parentes colant, & quæcumque illi jusserint, peragant, plus habent gravitatis (Mores Romani) & nostrorum hominum (i. e. Græcorum) leges longè superant. Nam qui formas vivendi Græcis condiderunt civitatibus, certum quoddam tempus admodum breve prescripserunt, quo liberi parentibus essent subditi; quidam usque ad annum pubertatis tertium; quidam tantisper dum cælibes manerent; nonnulli donec publice inter viros adscripti essent;*



essent; quemadmodum e Solonis, Pittaci Charondeque legibus acceperant, quorum magna celebratur sapientia: pœnas etiam in contumaces filios statuerunt non graves, permittentes patribus eos domo pellere atque exheredare; præterea nihil: quæ non sufficiunt ad compescendam juventutis vesaniam moresque pervicaces: neque contemtores bonestatis levi brachio possunt ad modestiam redigi. Quapropter apud Græcos sæpe indecora multa in parentes committunt liberi. Romanorum autem legislator omnem (ut breviter dicam) potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, sive in carcerem eum detrudere, sive flagris cadere, sive vinctum ablegare ad rustica opera, sive necare libeat; etiamsi filius tractet rempublicam, etiamsi magistratus gesserit maximos, etiamsi studii erga rempublicam laudem sit promeritus. Juxta hanc certe legem illustres viri pro rostris favente plebe concionantes in senatus invidiam, fruentesque aura populari, detracti è suggestu, abducti sunt à patribus, pœnas daturi ex ipsorum sententia: quos dum per forum ducerentur, nemo adstantium eripere poterat, non Consul, non Tribunus, non ipsa turba, cui tum adulabatur, licet omnem potestatem sua minorem existimans. Taceo nunc, quot viri fortes necati sint à patribus, nimio virtutis ardore provehæti ad patrandum generosum aliquod facinus, præter ipsorum mandatum; sicut de Mantio Torquato aliisque multis traditur, de quibus suo dicemus tempore. Nec contentus hanc potestatem parentibus dedisse legislator Romanus, permisit etiam vendere filium; nil deterritus crudelitatis specie, quod res gravior videri posset quam pro affectu domestico. Quodque maxime aliquis mireretur in dissoluta Græcorum disciplina educatus, quasi durum & tyrannicum, hoc quoque patri concessit, licere illi



terna filii venditione pecuniam querere; majorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium. Servus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui juris est. Filius vero à patre venditus, si liber fieret, rursus sub patris potestatem redigebatur. Interum quoque venditus & liberatus, servus ut ante patris erat. Post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate. Hanc legem primi illi Reges observabant, incertum scriptamne an sine scripto proditam; habentes pro omnium optimam. Post sublatam vero monarchiam, cum primum visum est Romanis patrias consuetudines legesque omnes una cum ascitiis in foro proponere univèrsis civibus, ne jus publicum mutaretur cum potestate magistratum, Decemviri, qui a populo acceperant potestatem colligendarum legum & conscribendarum, hanc quoque retulerunt inter ceteras: extatque in duodecim Tabularum (ut vocant) quarta, quas tunc in foro posuere. Quod autem non Decemviri, trecentesimo post anno scribendis legibus creati, primi hanc legem in rempublicam Romanam introduxerint, sed jam dudum receptam non ausi sint tollere, cum ex aliis multis colligitur, tum principè è legibus Numæ Pompilii successoris Romuli, ubi sic scriptum habetur: Si pater filio concesserit uxorem ducere, quacum sacra & bona juxta leges communicet, patri posthac nullum jus esto vendendi filium. Quod ille non scripsisset, nisi ante jus fuisset patri vendendi filium.

## §. IV.

Etiam in eo, quod Pater, si vellet, possit retinere patriam

Vides adeo jus patriæ potestatis Romanum præter alia multa & hoc habuisse singulare ac diversum à moribus reliquarum gentium, quod pater, si vellet, retineret potestatem hanc ad dies vitæ, si nollet, possit filium



filium dimittere ex potestate; nuptiis vero filii vel filiae potest. ad  
 aut separata oeconomia liberi a patria potestate non. dies vite.  
 liberarentur. Malo rem verbis summi Belgarum Jcti  
 Ullrici Huberi proferre, quam meis. *Romani*, ait *disput.*  
*16. de Fundam. juris §. 2. in patria potestate modum Juris*  
*nature & Gentium excefferunt, ut dixi disp. 19. th. 14. seqq.*  
*ideoque filium, uxore ducta, noluerunt ipsum esse domus*  
*Principem, sed mulierem in domum paternam deducere,*  
*ejusque partem manere, familiaque imperio subjici, utur*  
*seorsim habitantem §. 2. de oblig. ex qu. del. Ita Calium*  
*Cicero defendit, ut in patris potestate existentem, cum non*  
*modo permittente patre, sed etiam suadente, ab eo semi-*  
*grasset. orat. pro Calio. Veteres adeo duos tantum modos*  
*solvenda patriâ potestatis agnovere, mortem & voluntatem*  
*patris, donec Byzantini Principes dignitates quasdam adje-*  
*cerunt. Ita tres modi recensentur hoc tit. mors, dignitas &*  
*emancipatio.*

§. V.

Porro quod emancipationem attinet, uti patria. Igitur & e-  
 potestas ipsa erat juris Romani, ita & hic modus non. mancipatio  
 aliis gentibus communis, sed & ipse totus proprius Ro- erat modus  
 manis, ut adeo & hic Justinianus dicere poterat ea qua solvendi  
 de patria potestate dixerat: *Emancipatio, qua liberos ex patriam*  
*potestate dimittimus, est propria civium Romanorum: nulli potestatem*  
*enim alii sunt homines, qui talem liberos dimittendi habent Romanis*  
*solemnitatem, qualem nos habemus.* peculiaris.

§. VI.

Peculiares illas solemnitates omnium optime de- Solennita-  
 scripsit Cajus in fragmento lib. 1. tit. 6. (al. 8.) §. 3. Item tes emanci-  
 per emancipationem filii sui juris efficiuntur. Sed filius mas- pationis  
 culus tribus emancipationibus de potestate patris exit, & antiquæ.  
 sui



fui juris efficitur. Mancipatio autem, hoc est, manus traditio, quedam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter illum, hoc est, certum patrem alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est, manu tradit: à quo fiduciario patre naturalis pater unum, aut duos nummos, quasi in similitudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. Hoc secundo & tertio fit. Quæ tamen mancipatio solebat ante Præsidem fieri, modo ante Curiam facienda est: ubi quinque testes cives Romani in præsentem erunt, & pro illo, qui libripens appellatur, id est, stateram tenens, & qui Antestatus appellatur, alii duo, ut septem testium numerus impleatur. Tamen cum tertio mancipatus fuerit filius à patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut ei a fiduciario patre remancipetur, & à naturali patre manumittatur: ut, si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius, succedat. Fœmine vel nepotes masculi ex filio, una emancipatione de patris vel avi execute potestate & sui juris efficiuntur. Et hi ipsi, quamlibet una mancipatione de patris vel avi potestate execute, nisi à patre remancipati fuerint, à naturali patre manumissi, succedere eis naturalis pater non potest, sed fiduciarius, à quo manumissi sunt. Nam si remancipatum sibi naturalis pater, vel avus manumiserit, ipse eis in hereditate succedit.

## §. VII.

Erant hæc solennitates adhuc in usu tempore Diocletiani, ut videre est ex l. 3. C. de emanc. Non nudo consensu patria liberi potestate, sed actu solenni vel casu liberantur: nec causa quibus motus pater emancipavit filium, sed actus solennitas queritur.

§. VIII. Et

Quæ adhuc  
tempore  
Diocletiani  
in usu erant.



Et durarunt ita usque ad tempora Anastasii Imperatoris; sic docente *l. s. C. cod. tit. quæ Constitutio-* Anastasia-  
*nem Imperatoris refert.* *Jubemus, inquit, licere paren-* na emanci-  
*tibus, id est, patri, avo paterno, seu proavo, ceterisque ul-* patio.

*terius, id est, patri, avo paterno, seu proavo, ceterisque ul-*  
*terius per masculini sexus personas continua generis serie*  
*conjunctis, si liberos quos habent in potestate propria, id est*  
*filium vel filiam, nepotem seu neptem ex filio, pronepotem*  
*seu proneptem, ceterosque itidem per masculini sexus perso-*  
*nas continua generis linea sibi conjunctos, per emancipatio-*  
*nem vel absentes & peregrinè degentes, vel in iisdem locis seu*  
*regionibus vel civitatibus commorantes, in judicio vero non*  
*presentes, juris sui constituere maluerint: supplicationibus*  
*correctis mereri super hoc divinum oraculum: hocque apud*  
*competentem judicem, ad cujus jurisdictionem actus eman-*  
*cipationis pertinet, insinuare, superque precibus à semet obla-*  
*tis apud eum deponere: ut hoc subsecuto & autoritate præ-*  
*cedente principali plenissimum robur emancipatio sortiatur:*  
*& persone in quas talis liberalitas collata sit, de aliena po-*  
*testate quasi à parentibus ex emancipatione manumissa li-*  
*berentur, si tamen ipsæ nihilominus sub gestorum testifica-*  
*tione, vel apud eundem judicem, vel apud alium quemlibet,*  
*proposito parentum suam etiam voluntatem consonare, vel*  
*ante preces oblatas & sacros apices promulgatos, vel postea*  
*deposuerint, nisi infantes sint, qui & sine consensu hoc modo*  
*sui juris efficiuntur.*

§. IX.

Tandem Justinianus novo remedio totam quidem Denique  
solennitatem emancipationis, quæ per initium Consti- Justiniana  
tutionis Anastasiana non plane tollebarur, abrogavit  
*l. ult. C. cod. Cum inspeximus, in emancipationibus vanam*

B

obser-



observationem custodiri, & venditiones in liberas personas figuratas & circumductiones inextricabiles, & injuriosa rhapsinata, quorum nullus rationalis invenitur exitus: jubemus, hujusmodi circuitu in posterum quiescente, licentiam ei esse, qui emancipare vult, vel ex lege Anastasiana hoc facere, vel sine sacro rescripto intrare competentis judicis tribunal, vel eos adire magistratus, quibus hoc facere vel legibus vel ex longa consuetudine permissum est: & filios suos vel filias suas, nepotes vel neptes vel deinceps progeniem in potestate sua constitutam, à sua manu dimittere, & legitima jura omnimodo habere, etsi non specialiter hoc sibi servaverit; & peculium donare, vel alias res liberalitatis titulo in eos transferre: & eas res quæ acquiri indignantur, per usum fructum secundum nostræ constitutionis modum detinere & omnia facere: una tantummodo (secundum quod jam dictum est) observatione sublata.

§. X.

Imprudens  
Triboniani  
in condendis  
Pandectis  
intuitu  
emancipationis  
Justinianæ.

Ad melius intelligendam rem omnem, & ad illustrationem observationis communis, quam parum prudenter versatus fuerit Justinianus in condendo suo juris corpore, juvat adscribere verba acutissimi J. C. Franc. Balduini ex ejus Justiniano lib. 3. p. 271. Justinianus in constitutione sua & imaginarias venditiones mancipationesve & manumissiones, & quædam rhapsinata intervenisse narrat l. ult. C. de emancip. lib. r. Illorum rhapsinatum etiam meminit in Novella 81. Quænam ea fuerint & quid sibi vellet, queritur ab antiquitatis studiis. Homines quidam eruditi, qui & hodie totam veterum literarum memoriam gloriose sibi arrogat, non dubitant, significari colaphos vel alapas: & has a patre institas fuisse, ad significationem cujusdam abdicationis, sicut narrant. Ego vero suspicor,  
eo ver-



eo verbo potius significari ipsos iclus vindicta, hoc est, virgule Pratoria, quales constat olim in manumissionibus intervenisse. Nam & apud Gracos παρθενον plerumque significat παρθενον. Quod ad trinas mancipationes attinet, quarum Justinianus quoque meminit; quia lex Romuli & XII. Tab. non aliter filium sui juris esse pronuntiabat, quam si pater a patre venundatus fuisset, & ab emptore manumissus, superstitiosa posteritas, ut illi legi dicis causa satisfaceret, imaginarias venditiones tres simulabat. Sed cum hac fabula agere defuisset, non debuerat Tribonianus Pandectis adscribere multa, quae ex ea descendunt. Nam quorsum in eas refert illud Pauli, emancipari neminem posse, nisi in imaginariam servilem causam deductus sit? l. 3. §. 1. De cap. minut. Certe hoc ante Justinianum quoque Anastasius falsum esse ostenderit. Quorsum apud Ulpianum dicitur filius capite diminutus, cum emancipatus significatur? l. 3. §. ult. ad SCtum Maced. Quorsum ex eodem relatum est, filiam cum emancipatur, vel nepotem, una emancipatione exire de potestate? l. 5. de injusto, rupt. &c. Lex antiqua, quae tres mancipationes requirebat, tantum loquebatur de filiofam., nam filias, vel nepos semel tantum mancipabatur: & semel manumissus fiebat sui juris. An bonus Tribonianus putabat, tale aliquod, tamque obsoletum discrimen, ad suam quoque aetatem pertinere? Et quorsum totus ille titulus sit parentibus quis manum. fuerit. Quorsum toties mentio sit patris manumissoris? Quorsum contracta fiducia, l. 2. §. sed neque ad SCtum Tertull. Fiducia contrahi dicebatur, cum pater filium tertio mancipabat ea lege, ut sibi venderetur, & emptor imaginarius cum illi remanipabat, ut manumitteret redemptum filium pater, tanquam dominus servum: eoque modo jus Patroni consequeretur. Atqui



diu antequam Pandecta eaderentur, tota hæc fiducia ratio & consuetudo evanuerat: tametsi Justinianus patri emancipanti tribui jus illud voluerit, quod contracta fiducia tribuebatur. Tantumque abest, ut aliquid ex veteri ceremonia tunc superesset, ut etiam Principis rescriptum, quo solo posse simpliciter confici emancipationes Anastasius constituerat, Justinianus non esse necessarium edixerit. Ergo multis sentibus & spinis liberata erat Jurisprudencia, nisi earum tribulos & aculeos Tribonianus Pandectis adpersisset. Pandectas enim demum anno sequente post hanc constitutionem editam fuisse collectas docet idem lib. 4. uti & de Instit. id patet ex §. 9. *Instit. quib. mod. jus patr. pot. solv.*

## §. XI.

Germanos quod attinet, illorum patria potestas nunquam fuit æqualis patriæ potestati Romanorum, sed illi potestati, qualem usurparunt aliæ gentes præter Romanos; At hæc magis in onere educationis utriusque parentum incumbente, quam in commodo, & magis in coercitione modica, quam jure vitæ & necis constitit, & adeo finit, quam primum liberi justæ ætatis fuerunt, ut ipsi reipublicæ inservire & res proprias administrare possent. Tacitus *de moribus Germanorum* etiam de patria potestate Germanorum directe nihil differat, siuc tamen pertinet, quod ait *cap. 20. dominum ac servum nullis educationum deliciis dignoscas, inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat. Mela parallelum locum habet lib. 3. c. 3. Maximo frigo cœnudi agunt, antequam puberes sint, & longissima apud eos pueritia est. (nempe ad vigesimum usque ætatis annum adnorante Cluvero German. antiqu. l. 1. cap. 21. f. 157.) Ætas separebat ingenuos à servis, virtus agnoscebat. De Gallis Cæsar Comm. 6. In reliquis vitæ institutis hoc fore à reliquis differunt, quod*



quod suos liberos, nisi cum adoleverint, ut munus militia sustinere possint, palam ad se adire non patiantur, filiumque in puerili aetate in publico, in conspectu patris, assistere turpe ducunt. Adhibebant vero liberos quamdiu in potestate erant, id est, intra annos pubertatis ad domestica officia aequae ac servos, ut ex Tacito & Diodoro probat Cluverus *d. l. fol. 157.* ubi & docet, quod post annos pueritiae & officia publica, id est, armorum gestationem non ex arbitrio, sed ex iudicio civitatis adolecentes fuerint admisi. Hi mores durarunt ad tempora Caroli Magni de quo Eginhardus *in vita: Filios quam primum aetas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: filias vero lanificio adfocere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit.* Confer. Pauli Hachenbergii *German. med. dissertat. s. S. 13. pag. 187.*

## §. XII.

Germanorum propago Angli sunt. Quae igitur Illustrantur de Anglorum moribus tradit Joannes Cowellus *in Instit. dicta ex Conjur. Anglicani*, id summam poteris quoad rem ipsam, wellii jure de patria potestate Germanorum veterum & modis dimittendi è patria potestate dicere. Ita vero ille *lib. 1. tit. 9. §. 2. & 3.* Intelligendum est, veterem illam potestatem, quam Romani in suos liberos habuerunt, multo apud nos esse remissioram. Nam Angli per solam liberorum suorum, qui adhuc minores 21. annis sunt, industriam sibi acquirunt: idque ea conditione, si apud se retineant, & in suis negotiis rotentos suis negotiis exercent, & viciniam vestitumque illis suppeditent. Nam si aliis traduntur in aliqua arte instituendi, heros suis laboribus reddunt locupletiores, nisi tamen aliter conventum fuerit, quia conventio legem vincit. Quodcumque peculium sive adventitium sive profectitium, nedum caprense, liberis contingit, ejus nec usum fructum quidem pater assequitur, sed rationi



rationi ejus reddenda, cum filius ad plenam etatem pervenerit, obnoxius manet. Ut loquar quod res est; potestas patria apud nos amorem illum paternum & officium liberorum potius redolet, qui juris divini & naturalis vigore omnium mentibus insinguitur & insillatur, quam aliquo juris civilis vinculo continetur. Nam decalogi autoritate, quem Romani veteres ignorabant, honorem patribus prestandum, idque divina benedictionis promissione suademus: & in refractarios hoc unico patres utuntur freno, quod spem hereditatis & patrimonii omnem illis amputare & praeindere possint, sepeque nec vanum minuentur. Et ut. 12. §. 4. Ut tam arctus non est apud nos patrie potestatis nexus, quam apud Romanus fuit: sic neque est tam solennis ejusdem per emancipationem solutio. Nam, nihil inter nos reperio, quod prohibet filium vel filiam, cum annum vigesimum primum impleverit, vel invito patre, esse sui juris. Certum est eos tum posse cum quocunque contrahere & ex quocunque contractu non minus quam sexagenarium obligari. Hac enim etas apud nos plena est maturitas.

## §. XIII.

Jure gent.  
finitur po-  
testas pa-  
rentum, si  
non ampli-  
us opus e-  
ducatione  
& alimen-  
tis.

Scilicet etsi recta ratio dicitur, regulariter liberos non debere secedere ex societate paterna invitatis parentibus, id tamen sic intelligendum, ut ex altera parte neque parentes etiam debeant nimis morosi esse in retinendis liberis sine justa causa. Quodsi enim liberi justam habeant migrandi causam, nec tamen parens annuere velit; putaverim eosdem non obligari, quo minus rebus suis, etiam ringente duro patre, prospiciant; imprimis ubi paternam hereditatem negligere velint. Nam leges civiles, uti autoritatem parentum recte fulciunt; ita morositatem ineptam haud temere obfirmabunt. Quin nec capita familiarum segregum invitos liberos videntur retinere posse, ubi justam semigrandi causam habuerint; cum nec in justis civitatibus hominibus liberis facile migratio denegetur, si nullo alio quam communi civium vinculo stringantur. Pufendorfius de J. N. & G. lib. 6. c. 2. §. 13. Similiter & Dn. Praeses Inst. Jurispr. divinae lib. 3.



lib. 3. c. 4. §. 53. Quare naturaliter expirare debet societas paterna, cum liberi ipsi capaces sunt de alimentis sibi prospicere, & educatione amplius non habent opus. Quod ipsum fufius explicat in paragraphis seqq. & exinde concludit §. 78. Si liberi jam educati & adulti matrimonium contrahere cupientes parati sint exire familia paterna, parentes vero ob duritiem & morositatem evidentem nec eos dimittere, nec in matrimonium consentire velint, & tum liberos, salva in reliquis pietate & reverentia sibi prospicere poterunt.

## §. XIV.

Cum igitur jure gentium nullum sit dubium quod parentes valde proni sint ad dimittendos liberos ex familia, si ipsi capaces sint, vel ut fiant propriae familiae capita, si sint masculi, vel ut transeant in alienam familiam, inde factum est, ut Compilatores juris Saxonici & Syevici hanc liberationem a potestate parentum magis supposuerint, quam ut de ea re ex professo, quod ajunt, multa collegerint. Juvabit tamen ea capita, quae Doctores huc trahere solent, apponere. *Lib. 1. art. 11. juris Provincialis Saxonici* sic disponit: Hält ein Vater seine Kinder in Vormundschaft nach ihrer Mutter Tode / wenn sie sich darnach von ihm scheiden / er soll ihnen lassen und geben alles ihrer Mutter Gut; Es sey ihm dann von Unglück / und ohne seine Schuld abgegangen. Dasselbig soll das Weib den Kindern auch thun / ob ihr Vater stirbet / und ein jeglich Mann / der der Kinder Vormund ist. Fit hic mentio 1. separationis a parentibus tanquam exitus ex familia. 2. quod pater liberis exeuntibus debeat restituere bona omnia materna. 3. Quod eadem sit ratio patris & matris in hoc capite. 4. Quod pater & mater sint tutores vel potius curatores liberorum suorum si alteruter conjugum moriatur.

Loca juris ver. Saxon. huc pertinentia, cum observationibus inde deductis.

1. ex juris provinc. 1. art. 11.

## §. XV.



2. ex Ejusd.  
juris lib. 1.  
art. 13.

Secundus locus est *ejusd. lib. 1. art. 13.* Sundert der Vater und die Mutter einen ihrer Söhne oder Töchter von ihm mit ihren Gut/ sie sondern sich mit der Kost oder nicht/ wollen sie nach des Vaters oder Mutter Tode/ ihr Erbtheil wieder ansprechen/ der Bruder gegen den Bruder/ oder die benannte Tochter gegen der ausgestatteten Schwester/ sie müssen in die Theilung wiedereinbringen mit ihrem Eyd alles das Gut/ da sie mit abgefondert waren/ ob es fahrende Haabe ist/ sondern Gerade. Ist es aber ander Gut/ das man beweisen mag/ da mögen sie nicht für schweren. Hätten sie auch ihr Erbtheilung daran verslobt/ der sollen sie entbehren/ sie wiederreden es dann auf den Heiligen. Verloben sie es aber vor Gericht/ so mag man sie daß überzeugen/ dann sie es unschuldig mögen werden. Continet hic articulus notabilia sequentia. (1) Patrem & matrem æque dimittere liberos ex potestate. (2) dimissionem hanc fieri per separationem honorum, etiamsi non instituant liberi separatam œconomiam. (3) Per separationem hanc liberos non amittere jura successionsis, nisi renunciaverint eidem sive judicialiter si- ve extrajudicialiter.

## §. XVI.

3. ex lib. 1.  
art. 45.

Tertius locus est *ejusd. lib. 1. art. 45.* Und obwohl ein Mann seinem Weib nicht eben bürdig wäre/ ist er doch ihr Vormund und sie ist seine Gensßin/ und triset in sein Recht wenn sie in sein Bette tritt. Ex hoc articulo probatur, quod filia per nuptias exeat e potestate parentum, quoniam fit familiae mariti pars, & ita maritus fit ipsius curator.

## §. XVII.

4. & 5. ex  
lib. 2. art. 19.  
& 30.

Quartus locus est *lib. 2. art. 19.* Der Vater mag den Sohn



Sohn wohl von ihm sondern/mit etwas seines gutes vor Gericht / das der Sohn annehmen will / wie wenig es sey. Huic jungendus locus quintus *cod. libro artic. 30.* wer im Erbe zusaget / nicht von Eyschafft oder Erbe / sondern von Gabe oder Bedinges wegen / das soll man halten vor Unrecht / und nicht glauben / man möge denn gezeugen daß das Gelübde vor Gerichte bestätigt sey. Ex his articulis notanda declaratio *art. 13. libri 1.* quod nimirum liberi possint renunciare hereditati patris sive judicialiter sive extrajudicialiter, at si quis velit hereditatem transferre per pactum in extraneum, id non valere, nisi fiat judicialiter.

## §. XVIII.

Jus Alemannicum seu Svevicum post Jus Saxonicum jam iis temporibus, ubi magis magisque in Germania etiam inclarescebat Jus Romanum, collectum est. Et per totam collectionem hinc inde patet, quod collector quicumque fuerit, valde deditus fuerit pro captu illorum temporum studio juris Romani, ut quod passim immiscet, in tantum ut *cap. 253. causas 14.* exheredandi liberos ex jure Justiniano imprudenter transtulerit ad mores Germaniæ, utpote apud quos, ut ex toto Speculo Svevico patet, nondum invaluerat mos testandi. Unde coactus fuit istas 14. causas invita Jurisprudencia Romana & Germanica transferre ad successionem ab intestato, ac si iis jura harum successio amitterentur. Hæc observatio eum in finem præmittitur, ut appareat, eo fortius probare ea, quæ contra emancipationes Romanas ex hoc jure afferentur, quo majorem amorem erga Jus Romanum contestatus est ejus compilator.

C

## §. XIX.



Loca ex Ju-  
re Svevico  
huc perti-  
nentia (1)  
ex jur. pro-  
vinc. cap.  
118.

Pertinet vero ad scopum nostrum primo *cap. 118. juris provincialis* (numero vero capitula secundum editionem Goldasti in *Tomo der Reichsstatuten fol. 31. seq.*) Spricht man ein Kind an/das nicht vierzehn Jahr alt ist/ und ist es unschuldig/ der Vater soll für es schweren. Ueberzenget man es der Getat/ und hat ihm der Vater gut usgeben/ da soll man von Büßen den Klager und dem Richter. Und hat er ihm nicht usgeben/ der Vater soll von sein selbsts gut nit Büßen/ gewinnet der Son dar nach eigen gut/ man soll dem Klager und dem Richter büßen. Ex hoc capitulo notatur, quod pater possit etiam filio impuberi peculiaria bona assignare: sit tamen in ejus arbitrio, utrum hoc facere velit, nec ne.

§. XX.

(2) ex cap.  
259.

Secundo huc pertinent verba initialia capit. 259. Stirbt einem man sein weib/ und soll er gelten und hat nicht zugeben/ und nimmet er ein ander weib/ die ihm fahrend gut gfebt/ er gilt von dem fahrenden gut wohl/ und soll auch davon gelten. Das ist davon gesezet/ das der man seines weibes Vogt und Meister ist. Ex hoc capitulo noto, quod uxor omnis transeat ex potestate patris in tutelam mariti, in quo jus Svevicum consonat cum jure Saxonico *vid §. 16.*

§. XXI.

(3) ex capit.  
286.

Tertius locus est capit. 286. Ist das eit man alle seine Kinder ausgesteuert hat/ und hat er dennocht fahrend gut/ das gibt er wohl wem er will. Kommet er as her an das tod-bette/ er mag das mit nicht gethun/wann als hievor gesprochen ist. Convenit hoc capitulum cum  
iis,



ius, quæ ex jure Saxonico adduximus §. 14. 15. 17. Et vocantur liberi ita a patre separati in rubrica dicti capituli *berathene Kinder*.

§. XXII.

Quartus locus est *capit. 319. §. 2.* Es mag ein Vater bey seinen lebendigen Leib / ob er will / seinen Kindern mit recht einen pfleger geben. Wer der ist dem er dann wohl getrauet / demselben befiehet er sein Kind und ihre gut. Wann er dann stirbet / soll sich der pfleger der Kinde und ihres guts unterwinden / und mag ihm des mit recht niemand gewehren. Es sey dann das er ihm übel thue / so soll man es handeln als hievor gesprochen ist. Declarat hoc capitulum ea, quæ ex *capit. 218.* adduximus §. 19. quod pater si filios impuberes separet a se, separata bonis assignando, etiam tutorem ipsis dare possit vel curatorem intuitu bonorum assignatorum, quodque hic curator continuet tutelam hanc ipso jure mortuo patre. Quod enim hoc capitulum non intelligendum sit de tutela testamentaria, argumento est, quod testamentarum temporis nondum erant recepta apud Germanos.

(4) ex 9  
cap. 319. §. 2.

§. XXIII.

Maxime vero directo huc pertinet *capitulum 382.* Der Vater soll seinen Sun von ihm sondern / so er fünf und zwanzig jahr alt ist / mit als viel gutes als er gelieftest mag / also das ihm das mehrer theil bleibe. Und thut er das nit gern / der Sun nöthet ihn des mit recht wohl vor seinen Richter. Und hat der Vater nit mehr wann ein Kind / er giebet ihm mit recht nit mehr wann den fünften theil seines guts : und hat der Vater mehr Kind dann eins / so theilet er mit recht das ihm drey theil bleiben / und den Kindern den zweyten theil. Hic aperte disponitur, quod

(5) ex  
capit. 382.



quod apud Germanos filii majorenes possint patrem adigere, ut ipsos a se separet per assignationem bonorum, quo in casu maxime differt jus Germanicum a moribus & legibus Romanorum.

## §. XXIV.

Summa observatio-  
num, ex jure Germanico de dimissione liberorum ex potestate parentum.

Quod si ea quæ hæcenus sparsim observavimus, in summam velimus contrahere, patet ex adductis locis juris tam Saxonici, quam Svevici, quod uterque pater & mater apud Germanos dimittant liberos suos ex potestate per separationem conjuncta assignatione bonorum, vel etiam simplici restitutione bonorum mater-  
norum, tum etiam per nuptias; quod liberi majorenes possint parentes adigere, ut eos assignatione bonorum ex potestate dimittant; quod liberi sic separati non amittant jura successionis, nisi eidem renunciaverint tempore assignationis bonorum, quod denique pater & mater curam gerant bonorum; quæ liberi post alterutrius mortem ex hereditate acceperunt; quod tamen pater si minorennibus vel etiam impuberibus bona certa assignare velit, eosque sic separare, possit curatorem intuitu bonorum iis dare &c.

## §. XXV.

Doctrinam Romanam de emancipatione nullam plane usum attulisse juri Germanico

Hæc ita obtinuerunt in Germania ante receptionem juris Justinianei. Posteaquam vero id in Academi-  
as & ex Academiis in forum introductum est, constat ex ipsis imperii legibus, quod hæc introductio non debeat abrogare mores Germaniæ, sed quod debeat moribus Germaniæ subsidio esse, si hi deficient. Igitur cum prolata hæcenus ostendant, doctrinam Romani juris de emancipatione non posse esse subsidio juri Germanorum, sed mores nostros longe esse pingviores jure Romano, facile



\* (21) \*

facile patet, doctrinam de emancipatione liberorum nullum plane usum attulisse juri Germanico.

§. XXVI.

Etenim (1.) liberi majorenes non poterant jure Romano parentes invitos adigere ad emancipationem; jure Germanico liberi majorenes possunt adigere ad dimissionem ex potestate. (2.) liberi apud Romanos emancipabantur certis solennitatibus, minimum judicialiter, at apud Germanos separatio cum assignatione bonorum etiam extrajudiciali vel nuptiæ ipso jure liberabant eos a potestate. (3.) contra vero apud Romanos liberi manebant in potestate patriæ etiam si separata pecunia haberent, separate habitarent, etiam si nuptias consensu parentum inissent. (4.) Patres apud Romanos poterant emancipare impuberes & tum fiebant tutores fiduciarii. At apud Germanos parentes quidem poterant etiam separare impuberes assignatione bonorum ipsis facta, sed non tum liberati erant liberi ab eorum patria potestate ante majorenitatem, quatenus hæc ut diximus consistebat in effectibus juris gentium. (5.) Igitur quamvis etiam apud Germanos parentes fierent tutores vel curatores liberorum intuitu bonorum ad eos pertinentium, non tamen hoc erat indicium solutæ patriæ potestatis, quia apud Germanos & pater & mater tutores erant & curatores impuberum intuitu bonorum ab altero conjuge relictorum. At jure Romano tutor non datur nisi homini sui juris.

§. XXVII.

Tantum ergo abest, ut emancipatio Romana ullum usum habere potuerit apud Germanos, ut potius aperte incurrat suspicionem vel ignorantiam morum Germanicæ

Exempla emancipationum in Germania.



vel intempestivi amoris erga jus peregrinum, qui spre-  
tis modis facillimis patriis liberos dimittendi ex potesta-  
te, velit eos secundum Jus Justinianum judicialiter e-  
mancipare, saltem ut de usu juris peregrini præ patrio  
gloriarî possit. Sed non desunt tamen exempla quam-  
vis rariora & quædam adhuc dubia ejusmodi emancipa-  
tionum, quæ jam perlustranda sunt.

## §. XXIIIX.

Primum  
Comitis de  
Löwen-  
stein.

De Justinianeâ emancipatione, inquit B. Kulpilius *dis-  
sert. de adopt. & emancip. Principum* §. 58. *nobilissimum e-  
xemplum habemus ex familia Comitum Löwensteinensium,  
Ludovici Senioris, qui filios suos, Christophorum Ludovicum,  
& Ludovicum juniorem, die vigesima octava Martii, anno  
superioris seculi octuagesimo septimo, in Camera Imperiali,  
presens, termino sibi ad actum emancipationis assignato, so-  
lemniter, & judice pro tribunali sedente, emancipavit, quem-  
admodum hoc velut unicum exemplum Doctores allegant.*  
Subjuncti illi dissertationi Kulpilius integra acta hujus  
emancipationis, quorum summam sequenti argumento  
inclusit: *Ludovicus senior, Comes de Löwenstein, cum an-  
no 1587. sæpius pro confirmandis Curatoribus, quos filii sui  
nominarat, supplices in consilium libellos, prævia tum execu-  
tione a legitima parentum cura, exhibuisset, nec quicquam  
obtinuisset, sed semper repulsam tulisset, tandem re penitus  
deliberata, quod existens in patria potestate Tutorem vel Cu-  
ratorem habere non possit, cogitat de emancipandis filiis, se-  
que admitti ad emancipationis actum petit, sicque non so-  
lum ad emancipationem admittitur 27. Martii supra comme-  
morato anno 87. sed etiam curatorum confirmationem postea  
obtinet. Plenius rem enarrat Fridericus Penfoldus in ad-  
dit. ad decis. 222. Matthia Coleri. Et si Comes Senior à Lö-  
wen-*



Löwenstein aliquoties pro confirmandis tutoribus & curatoribus filiis suis partim puberibus, partim impuberibus, quibus dictus generosus Comes ab disseffiones, que ipsi cum Duce Würtembergico intercefferant, comitatum Löwenstein, refutatione prius domino feudi facta, concesserat, Camera imperiali supplicaverat, semper tamen repulsam tulit, adeo etiam, ut tandem clausula penaliter decreto adjecta fuerit, si Comes in posterum Camera ejusmodi informibus supplicationibus molestaret. Postmodum causa maturius perpensa, deprebendit Illustris Comes, in eo peccatum esse, quod Camera jura antiqua circa emancipationes adhuc tueatur, a quo alienum, liberis adhuc in patris potestate existentibus tutores vel curatores dari. Idcirco de novo supplicem libellum Camera exhibuit, in quo sibi terminum ad actum emancipationis assignari petiit. Indictus ipsi fuit dies, & actus emancipationis, in presentia Comitis Senioris, & filiorum, iudice pro tribunali sedente, celebratus. Quibus ita peractis iterum tutores & curatores nominavit, eorumque confirmationem postulavit, quam tunc de meliori obtinuit. Unde apparet patriam potestatem in imperio Germanico adhuc tueri, neque morem istum, quo separatio liberorum loco emancipationis fit, per totam Germaniam receptam esse. Supradictus enim Illustris Comes filios suos, Comitatum ipsis concedendo, separaverat.

## §. XXIX.

Vides adeo Comitem a Löwenstein invitum quasi ad hunc actum emancipationis adactum fuisse ab Assessoribus Cameralibus sub nullo alio pretextu, quam quod liberi sub patria potestate constituti secundum principia juris Romani non possint habere curatorem vel tutorem. Quæ ratio quod non fuerit sufficiens, patet

Qui tamen invitus à Camera ad hunc actum fuit adactus sub pretextu, quod licet veri in po-



testate patet si respicias sententias interpretum juris civilis, tris existentium si respicias mores & jura Germaniæ, facile patet.

§. XXX.

tes nõ possint habere curatorem. Repugnare hunc prætextum & juri Romano & moribus Germanorum.

Nam quod primum attinet, idem Matthias Colerus *decif. 226.* refert judicatum fuisse, quod liberis in potestate existentibus patre adhuc vivente super adventitiis bonis matris defunctæ alius tutor efficaciter dari possit. Ubi sic inter alia disserit: *de primo, quod videlicet etiam ei pupillo, qui sub patria potestate est, tutor dari possit, textus habetur clarus in l. fin. §. si autem patre recusante, ibi: facultatem habeat petendi curatorem ad eundem hereditatis. C. de bonis quæ liberis. l. cum in una §. tutor ff. de appellat. l. si impuberi in princ. de tutor. & curat. datis. Neque obstat, quod filios familias in potestate patris existentis tutor non detur. Quia illud verum, quando pater vult administrare negotia filii. Secus est, si nolit in se suscipere administrationem. Tunc enim tutor per Praetorem necessario datur. Ita respondet Jason in l. bonorum 2. num. 5. C. qui admitt. per dict. l. si impuberi, & d. l. fin. §. si autem patre recusante. Quoad mores Germaniæ vide textus supra §. 14. 19. 22. adductos. Ex quibus fati patet exemplum hoc fere unicum emancipationis deberi, si mitissime loqui velimus, errori Assessorum Cameralium, Nam errare humanum est.*

§. XXXI.

Exempla alia illud primum infecta

Errore vero hoc semel introducto, non mirum si & alii eundem postea imitati sint, *vide que referuntur ab eodem Kulpisio d. l. Forte etiam, ait, huc pertinet exemplum Ennonis, Comitum Frisæ Orientalis, quem, cum filiabus, de negotio Esensi & Witemundano tractaturum, ipsas antea emancipasse, Huldericus ab Eyben, notavit. Similiter quoque Eberhardus*



hardus a Freuberg, cum inter filios dispositionem Majoratus facere vellet, consensusque eorum necessarius esset, eos emancipavit, & quia minores erant, Curatores dare iussit, referente Betsio de pact. fam. illustr. cap. 10. p. 366. Nescio vero cur de emancipatione a Comite Frisiae facta dubitanter loquatur Kulpisius. nam Eybenius *dissert. 3. ad Inst. observ. 13.* simpliciter asserit eam factam esse, simul alia duo exempla addens. Sic, inquit, *Illustriss. memorie D. Enno, Comes Frisiae Orientalis &c. cum DD. Filiabus de negotio Esens. & Witmund. tractaturus, ipsas antea emancipavit. Et alias in non exigui momenti negotiis, ad libertatem testandi & cum patre contrahendi filiis acquirendam consilio suo emancipationem practicantem in Curia Emdana & adibus des Wouthaltenden Bürgermeisters / testatur vir quidam consultissimus H. E. D. lib. 2. decis. Cur. Ost. Fris. MSC. 2. n. 3.* Ipse quoque memini, anno 1658. ex Ducatu Brem. acta huc transmissa fuisse, quibus continebatur emancipatio a Doctore Med. N. coram Senatu Stad. ei fini facta, ut novissima privigno emancipato utiliter donare posset. Scilicet ita ex intempestivo amore legum peregrinarum oblitus sumus juris patrii, plane contra ipsas Constitutiones imperii, quae etiam Assessores Camerae adigunt juramento, ut pronuncient ante omnia secundum mores patrios, tum his deficientibus demum secundum jura Caesarea.

## §. XXXII.

Addit Kulpisius d. l. aliud exemplum emancipationis Anastasiana. Ad Anastasianam emancipationem referri debet novissimum, si in facto ita se habet, exemplum comitis Bentheimensis, Ernesti Gvilielmi, quem ad commodius eludenda, fratris sui Philippi Conradi, consilia, quibus

D

filios

Aliud exemplum emancipationis Anastasiana. Sed valde dubium.



filios illius ex Uxore, Gertrude de Zelf, prognatos, sub prae-  
 textu matrimonii ad Morganaticam contracti, a successione  
 Comitatus Bentheimensis, caterarumque ditionum Paterna-  
 rum, aliquando excludere cogitavit, inter cetera, hoc quoque  
 praesidio usum esse, recentissima historia memorat, dum re-  
 scisso contractu successorio, quem vi fratris adactum se sub-  
 scripisse querebatur, coram Notario & testibus, omnes Comi-  
 tatus ac ditiones suas, bonaque patrimonialia, eorumque pro-  
 prietatem, filius ex hoc matrimonio jam natus & adhuc nasci-  
 turus, resignavit, reservata sibi ad dies vita sola possessione,  
 eorum nomine, jure constituti possessorii, administrationeque,  
 sub qualitate Tutoris ac Curatoris legitimi, cum substitutio-  
 ne Uxoris suae, quae in casum mortis, sub directione Episcopi  
 Monasteriensis tutrix vel curatrix manere debeat, donec ad  
 legitimam aetatem filii pervenerint, quam renunciationis &  
 cessionis formulam Sacra Caesarea Majestas, sibi oblatam, ra-  
 tam habuerit, confirmaveritque. Subjungit statim: omni-  
 no vera est conclusio: eo ipso, quo tutelam filiorum ex con-  
 firmatione Caesarea suscepit Comes Bentheimensis, illos cen-  
 seri emancipatos, quod posito uno relatorum, id est, tutore,  
 etiam alterum, pupillus, sive persona sui juris & extra patri-  
 am potestatem constituta, poni debeat. Ego vero puto  
 conclusionem hanc falsam esse per dicta §. 30. adeoque  
 hunc actum ad exempla emancipationis vel dimissionis  
 a patria potestate plane non esse referendum.

§. XXXIII.

Fons erro-  
 ris, quod in-  
 troducta  
 fuerint in  
 Germania  
 exempla e-  
 mancipati-  
 onum.

Videamus jam, an fontem erroris hujus ostendere  
 possimus, ex quo etiam ipsi Assessores Camerales puta-  
 runt necessariam esse in Germania emancipationem Ju-  
 stinianeam. Scilicet originem debet Glossa juris Saxoni-  
 ci, cujus autor in eo rotus est, ut obtorto collo ad inter-  
 preta-



pretationem juris Saxonici ubique trahat textus juris Justiniani. Nimirum cum amassii juris peregrini jus patrium suppressere vellent, initio hac fraude usi sunt, ut jus patrium ex jure peregrino interpretarentur, prout non ita pridem Jesuitæ Argentorati simili intentione incipiebant interpretari Augustanam Confessionem ex principiis religionis Romano-Catholicæ. Cum igitur glossa inciperet una cum textu juris Germanici in judiciis allegari, pro statu illorum temporum, fundamentis historicis ac moralibus destitutorum, pedetentim errores glossæ innumerabiles invaserunt judicia etiam suprema, & sic Jurisprudentiam Germanicam mortali vulnere affecerunt.

## §. XXIV.

Quod nostrum thema attinet, narrabimus rem ver-  
bis Pensoldi *ad d. dec. 222. Colori*, quamvis in communi errore hærentis. *Patrium jus*, ait, *sive Saxonicum quod attinet, & circa illud duo principaliter queruntur. Primum an ad-  
huc patriam potestatem agnoscat: secundo ista admissa, quibus modis liberi ea exeant, & liberentur. Questio prima non adeo controversa est. Constat enim fere inter omnes, patriam potestatem Saxonum jure sublatam non esse per gloss. latin. ad text. german. art. 31. lib. 1. lit. f. & gloss. latin. ad text. german. art. 45. lib. 3. Landtv. ubi dicitur, licet uxor in tutela viri sit, jus tamen commune ratione patriæ potestatis manet incorruptum. Consult. super Constit. Elect. vol. 1. part. 1. quæst. 43. a numero 1. usque ad num. 9. & vol. 2. part. 1. quæst. 59. num. 1. Constit. Elect. 10. part. 2. ibidemque Daniel Moller. num. 1. Vides itaque: Glossa dixit patriam potestatem Romanorum valere in Germania, quia non sit abrogata. Postea cum heros glo-*

Assertio videlicet, patriam potestatem Romanorum valere moribus Germania.



riosissima memoria Augustus Saxoniae Elector diffensiones suorum Jctorum ex confusione juris peregrinicum patrio maximam partem ortas componere vellet per Constitutiones Electorales, consilium antea petiit a Jctis suis tam Facultatum Juridicarum, quam Scabinatus Lipsiensis Assessoribus, quos inter in Consultationibus postea editis praecipui memorantur Ioannes Schneidewinus, Matthaeus Wesenbecius & Jacobus Thomingius. Hic, ut apparet ex ipsis Consultationibus Constitutionum Saxonicarum, Jcti utriusque Facultatis id egerunt, ut jus patrium eliminarent, Scabini contra, ut id contra Jctos Facultatum defenderent. Igitur Jcti allegatis locis tanquam sententiam ipso jure Saxonico confessam & indubitabilem repetierunt, patriam potestatem Romanorum apud Germanos valere, quia non sit abrogata. Et quia in Tomis Consultationum non leguntur Scabini huius sententiae contradixisse, postea ille error ipsi textui Constitutionum Augusti l. c. fuit infertus. Unde & alii Jcti, ne viderentur contra leges disputare, ne hiscere quidem contra hunc errorem legizatum, sit venia verbo, ausi sunt, sed potius idem in aliarum provinciarum aut Civitatum imperialium Constitutionibus incaute fuit repetitus.

## §. XXXV.

quia videlicet Germani sint subditi imperii Romani.

Uti vero superius dicta palpabiliter ostendunt, quam crassus sit iste error, & quam inconcinna ista ratiocinatio: dispositio quaedam juris Romani in Germania non est abrogata, ergo valet; ita tamen excusandi aliquo modo sunt Jcti veteres, maxime Glossator juris Saxonici, quia in tenebris Papatus, ubi regnabat ubique barbaries & ignorantia bonarum literarum ac historiarum, crede-



credebatur, imperium Germanicum esse revera continuationem antiqui imperii Romani aut Constantinopolitani, quale fuit sub Julio Cæsare, Constantino, Justiniano &c. adeoque credebatur, pertinuisse ad imperium Romanum, jam tempore Justiniani & ultra, ipsam Germaniam, ac Germanos omnes esse cives Romanos &c. Res fufius patebit ex fequentibus, & notum est adhuc in Maximiliani I. recessu aliquo Imperatorem Justinianum appellari: *Unsern Vorfahren im Reich.*

## §. XXXVI.

Igitur pergamus in Pensoldo nostro. *In altera questione, pergit, aliquot controversia continentur. Constat namque jure Saxonico iisdem modis potestatem patriam solvi, quibus de jure communi solvitur: cum isti modi non reperiuntur sublati, quales sunt mors patris, vel avi, deportatio, servitus pœne, quarundam dignitatum adeptio, patris captivitas, adoptio & emancipatio, de quibus interpretes ad tit. Instit. quib. mod. jus patr. pot. solvit. item ad tit. de adopt. potissimum Ioannes Schneidevinus & Matth. Wesenbec. Vides errorem trahere errorem. Unde tu potius invertes argumentum: quia Germania ignoravit deportationem, servitutem pœnæ, potestatem avi in nepotes, adoptionem & emancipationem, & imo patriam potestatem Romanorum, & nunquam talia recepit, inde erronea est hæc argumentatio, & non fuit opus abrogatione.*

## § XXXVII.

Pergit Pensoldus: *Ac licet circa ultimum, puta emancipationem Schneidevin. ad d. §. Præterea num. 4. asserat unam tantum rationem emancipandi, nimirum coram magistratu hodie superesse: mihi tamen Huberti Giphanii sententia in d. §. Præterea verisimilior videtur, qui dicit, moribus*

In specie emancipationem.



ribus nostris duas emancipationis species, imperiali rescripto, & coram magistratu esse. Cum non dubitem affirmare, summo Principi hac in parte nihil derogatum esse, & etiamnum emancipationem rescripto Principis confirmatam firmissimum robur obtinere. Nos vero jam initio deduximus, neutrum emancipationis modum apud Germanos obrinuisse. Sed jam etiam probare vult rationibus aliis Pensoldus, utrumque jure Saxonico etiam receptum fuisse. Videamus.

## §. XXXIIX.

Tam Ana-  
Italianam,

Atque hi duo, inquit, emancipationis modi etiam jure Saxonico procedunt & plerumque separatio dicuntur, eine Sönderung. Primus stabilitur ex eo, quod Saxones recognoscant Imperatorem superiorem ex Constitutione Antonini I, in orbe ff. de stat. hom. & pro civibus Romanis habeantur. Unde ubi jus municipale contrarium non disponit, ut in hoc casu, jus Romanum sequuntur. Vides hic difertè, quod error hic ortus sit ex falso conceptu de constitutione Imperii Romano-Germanici: & desumfit hanc rationem Pensoldus ex Consuet. Constit. Saxon. Vol. I. Part. I. q. 43. quamvis in eo errorem auxerit, dum dixit, Saxones recognoscere Imperatorem superiorem ex Constitutione Antonini. Quis enim unquam vel somniando sibi imaginari poterit, Antoninum dedisse legem Saxonibus. Sed fuit error scribentis; debuisset enim dicere, ex mente auctoris, unde ista sumfit: pro civibus Romanis haberi Saxones ex Constitutione Antonini.

## §. XXXIX.

quam Justi-  
nianeam.

Secundus (scilicet emancipationis Justinianæ) firmatur, sic continuat Pensoldus, per textum expressum art. 19. lib. 2. Landr. ubi hæc verba habentur: pater coram judicio filium emancipare, id est separare a se poterit. Quamvis jus civile



in illo locum iudicii exacte non requirat, ubi sufficit, quod coram magistratu vel Iudice fiat. l. emancipati 36. in princ. ff. de adopt. l. emancipatione ii. C. de fide instrum. Hic Pensoldus non probat, quod probari debebat. Justiniane emancipatio debebat necessario fieri coram magistratu. At separatio liberorum poterat saltem fieri judicialiter, neque in eum finem, ut per judicialem hanc separationem firmiter exirent ex patris potestate, sed ut saltem renunciatio judicialis postea filium succedere volentem non admitteret ad iuramentum. vide supra §. 15. Ergo nec hoc intuitu poterit dici, quod separatio judicialis suppeditet utrum emancipationis Justinianeae.

§. XL.

Facile jam patet, quantum vlnus acceperit jus Germanicum per ejusmodi errores, & quam confusa inde fuerit reddita doctrina juris Germanici de modis dimittendi liberos ex potestate. Patet id statim ex iis, quae sequuntur apud Pensoldum: *Præter istos duos emancipationis modos moribus Saxonice receptus est & alius, qui separatio vel secessio dicitur.* Expresse enim ista contradicunt præcedentibus §. 38. descriptis. Ibi enim dixerat, emancipationem Anastasianam & Justinianeam Jure Saxonico separationem dici sine *Sonderung* / hic vero dicit separationem illam esse diversum modum ab emancipatione. Sed plures sunt inde ortæ confusiones & errores, quos brevissimis recensebimus.

Confusiones inde ortæ circa doctrinam de quasi emancipatione Germanorum.

§. XLI.

Initio modos dimittendi liberos ex nexu parentum communiter appellant emancipationem tacitam, incon-

(i. eam esse emancipationem tacitam.

venienter plane, cum omnis emancipatio Romana, ut supra vidimus, requirat voluntatis declarationem expressam.

lam



tam & minimum judiciale. Ergo emancipatio tacita contradictionem involvit. Sed pugnat tamen valde pro hac sententia Illustris Eybenius *Dissert. 3. ad Institut. obs. 14.* Non itaque, ait, nisi libera sua voluntate pater emancipat. Sed annon ea tacita sufficit? Servis equidem ex tacita quoque & presunta domini benevolentia libertatem asserimus §. 2. supr. qui & quib. ex caus. §. 12. tit. præc. §. 1. infra qui testam. tut. pr. & §. 1. de hered. instit. &c. Cur igitur in filiis, pro summo semper patris in eos affectu, non idem statuemus? Nec est, ut, cui tot habent filios, que opponant gratiosiora etiam argumenta, libertatis favorem præcedant servi. Atqui solenni actu, dicit, non nudo consensu, emancipationem fieri oportet. l. 3. C. de emancip. sed & quaedam manumissio est actus legitimus, suis solemnibus constans, l. 2. & 3. ff. de offic. Proc. Sutholt de Jurisdic. aph. 330. D. Jacob. Gothofred ad l. 77. de Z. I. p. 341. Quidni ergo & emancipationem distingvimus in solemnem, que actus legitimus sit proindeque secundum d. l. 3. solo consensu perfici nescia, & minus solemnem. Ut hæc tacite fiat: & vel dando filium in adoptionem §. 8. hic, vel permittendo, eum seorsim vivere, & tanquam patrem, res suas agere. arg. l. 1. C. de P. P. Nov. Leon. 25 (cui non hic nihil tribuendum. inspic. Cujacium 17. obs. 31. D. Gothofr. in Biblioth. jur. Rom. c. 5.) Bachov ad Treutl. Vol. 1. D. 2. th. 12. E. Dn. Struv. Exercit. 3. th. 67. Qui posterior modus incidit in separationem, qua etiam sola patriam potestatem hodie solvi, monuimus supr. obs. 12. & testatur Coler. Berlich. Balth. Richter. ceterique d. obs. laudati, quibus addatur Dn. Rebhan. Hodeg. ch. 2. cl. 1. p. 3. n. 53. D. Referens ap. Klockium relat. Cameral. 19. n. 55. Ut adeo mores nostri non tam correxisset, quam explicasse jus civile videri queant, arg. l. 37. ff. de leg.



\*(33)\*  
§. XLII.

Respondemus 1.) a manumissione ad emancipationem N.V.C. sunt enim diversa. 2.) Præsumta domini voluntas æque inconuenienter est manumissio tacita, sed modus diuersus a manumissione. 3.) Emancipationem tacitam ignorant leges. 4.) Adoptio enim est modus diuersus ab emancipatione, etsi olim fieret emancipationibus interuenientibus. 5.) L.I. C. de P.P. non agit de emancipatione tacita, sed de exceptione præscriptionis aduersus actionem patris præjudicalem. 6.) Novellæ Leonis nullæ unquam in Germania receptæ sunt, Cujacius vero & Gothofredus loquuntur de usu earum in Græcia. 7.) inconuenienter dicitur, quod mores nostri explicauerint jus civile, quia illud ignorarunt, & contortum est argumentum l.37. ff. de LL.

Cui affecti-  
oni respon-  
detur.

§. XLIII.

Deinde dum omnes qui de moribus Germaniæ scripserunt unanimiter asseruerint, quod separatione liberi dimittantur ex patris potestate, coeptum est dubitari, an hic modus sit receptus in uniuersa Germania. Vide locum Pensoldi supra §.28. descriptum in fin. Quamvis Pensoldus male perspexerit rationem, cur Assesores Cameræ noluerint admittere petitum Comitum de Læwenstein, cum tamen ipse paulo ante memorauerat, in eo eam fuisse sitam, quod putauerint filiis in patria potestate constitutis non dari posse curatores. At, inquit Pensoldus, separauerat tamen Comes de Læwenstein suos liberos a se & ipsis bona dederat. Ergo necesse est, ut Domini Camerales separationem hanc non habuerint pro dimissione, & ita separatio non ubiuis sit recepta. Sed fallitur Pensoldus, Nam liberi, quos Comes de Læwenstein

(2. Separati-  
onem libe-  
rorum non  
receptam  
esse per to-  
tam Germa-  
niam.

E

stein



stein separaverat, erant minores. At vero liberi minores per separationem bonorum, ut mox dicitur latius, moribus Germanorum non exhibent ex educatione parentum.

§. XLIV.

(3. liberos non statim per separationem liberari.

Porro quidam putarunt separationem liberorum demum post tempus liberare eos a nexu parentum: alii, si filius per annum & diem separatas aedes habuerit a patris, sic ut eum siverit pater res suas agere, suam artem exercere: alii vero censent demum per separationem domicilii dissolvi patriam potestatem, si per annos 20. filius seorsim habitaverit. Vide de utraque sententia autores quos citat Paulus Voetius *ad §. ult. Inst. quibus modis jus pot. patr. solv. p. 258. seq.* sed vel ex allegationibus istis patet, partim confundi mores Gallorum cum moribus Germanorum, partim incaute glossas *ad L. 1. C. de P. P.* torqueri ad usum Germaniæ. Igitur indubium est, moribus Germaniæ liberos statim dimitti ex potestate patris, si separata acceperint bona. *Illustris Dn. Stryk. in Usu moderno ad tit. de Adopt. §. 18.*

§. XLV.

4) An sufficiat separata oeconomia, aut separ. bon.

Deinde dissensus fuit iterum ortus, an ad separationem requireretur separata oeconomia, an sufficeret separatio bonorum, an utrumque horum requireretur. *vid. Dn. Stryk. d. l. §. 25. Voet. d. l. p. 258. Pensfold. ad d. decis. 222. Coler. n. 6.* Si textus juris Germanici absque præjudicio consideremus; patet, sufficere separationem bonorum absque separata oeconomia *vid. supra §. 15* separata vero oeconomia liberorum vix concipi potest absque separationem & additionem bonorum, quorum medio separatam oeconomiam possint instituire.

§. XXVI.



Nova dissensio, an dimissio ex potestate parentum <sup>5)</sup> quod se-  
per separationem bonorum fiat invito filio vel patre? par. bonorū  
*vid. Voet. d. p. 257. Moller. ad Part. 2. Const. 10. n. 9. Dn. Hopp.* non facta  
*ad d. §. 1. §. ult. quib. mod. jus pot. patr. solu.* Verius in-  
vito patre, per textum expressum *supra* §. 23. & adeo et-  
iam invito filio, quia correlatorum eadem ratio. Dis-  
sentientes utuntur argumentis ex jure civili & Novella  
Leonis desumptis, quæ, ut jura peregrina nihil probant.  
Urgent ulterius, nostra sententia admittitur quotidie me-  
tuendum esse patri, ut liberi majorenes, quibus non i-  
gnota sit bonorum maternorum quantitas ad liberta-  
tem provocent, & sic patri invito usumfructum horum  
bonorum auferant. Nos vero admittimus hanc seque-  
lam, sed non videmus, quod exinde absurdum sequatur.  
*conf. Pensold. d. l. n. 10. & 15.*

## §. XLVII.

Dissentiunt etiam in ea quæstione: an separatio li- <sup>6)</sup> quod se-  
berorum debeat fieri judicialiter, an sufficiat extrajudi-  
par. bonorū  
cialis? Communiter enim interpretes juris Saxonici an-  
debeat fieri  
te Constitutiones Electorales extrajudicialem separatio-  
judicialiter.  
nem non admiserunt. *Pensold. d. l. n. 8.* ob textum *Landr.*  
*lib. 2. art. 19.* Sed contrarium verius est per textum *lib. 1.*  
*art. 13. vide supra* §. 15. Ad textum obstantem responde-  
mus §. 17.

## §. XLVIII.

Circa separationem per matrimonium multi dis- <sup>7)</sup> Per ma-  
fenserunt, an filia per nuptias liberetur a patria potesta-  
trimonium  
te; quibusdam putantibus hic jus Romanum mansisse in-  
solum filiã  
correctum; quibusdam insuper separatam œconomiam non liberari  
non liberari  
requirentibus. *Pensold. d. l. n. 12, 13, 14.* sed utrumque con-  
a potestate  
tra parentum.



tra textus *supra* §. 16. & 20. descriptos & contra mores gentium, asseritur, quibus uxor transit in familiam mariti; Adde omnino *Illustrem Strykium d.l. §. 23.*

§. XLIX.

8) multo minus filii.

Non igitur mirandum, quod circa nuptias filii similiter dissenserint, cum textus juris Germanici non dissentam hujus faciant mentionem. Inde & Constitutionibus Saxonis in Saxonia Electorali expresse determinatum, quod filius solis nuptiis, si non accedat separata œconomia, non liberetur a patria potestate, & auctores Consultationum, has Constitutiones præcedentium, tantum de filia matrimonio cum aliis interpretibus juris Saxonici communis hoc interpretati sunt. *Vid. Illustr. Strykium ib. §. 22. P. Voet. d.l. p. 258. seq. Dn. Hopp. ad §. 6. Inst. h.t. Pensoldum d.l. n. 17.* Sed verior est sententia dissentientium de jure communi Germanico, quia communi gentium jure, exceptis solis, quod scimus, Romanis, tam filius quam filia per matrimonium aut novam familiam inchoabat aut in alienam familiam transibat, adeoque apud omnes gentes liberi per matrimonium ex potestate parentum liberantur, quod per inductionem morum fere per universam Europam latius probarunt Auctores citati a Voet, *d.l.* potissimum Matth. Berlichius *P. II. concl. 11. n. 33. seqq.*

§. L.

Monita

circa matris  
monium fi-  
lii & filia.

Adde tamen ad conciliandas forte sententias dissentientes, quod regulariter sive filius sive filia matrimonium ineant, simul soleant bonis separari & separatam œconomiam incipere, rarius vero pater filium post matrimonium in convictu retinear, & adhuc rarius filiam. Solliciti ergo fuere dissentientes de casibus rariis

ribus



ribus & minutiis contra Jcti monitum, quod de eo quod semel aut bis fit, non soleant fieri leges. Deinde confuderunt dissentientes reverentiam cum obsequio. Aequum est, ut liberi etiam ex potestate dimissi reverentiam perpetuo exhibeant parentibus, & natura rei ostendit, quod majorem gradum reverentiæ debeant exhibere liberi, qui adhuc sunt in victu patris, quam qui sic separati sunt. Sed propterea tamen hæc reverentia non est obsequium, i. e. non amplius poterit pater liberos ejusmodi coercitione modica ad suam voluntatem adimplendam cogere. Quinimo, si hoc reverentiæ debitum inferret potestatem patriam, sequeretur, quod & gener aut nurus, qui in victu soceri sunt, & ab eo cum uxore vel marito alimenta accipiunt, sint in patria potestate soceri, atque adeo matrimonium liberorum sit modus constituendæ patriæ potestatis, quod tamen inter absurda referendum esse, quilibet videt.

## §. LI.

Sunt præterea qui putant majorennitatem referendam esse inter modos finiendæ potestatis parentum jure Germanico. *vid. Pagenstecher ad Inst. lib. 1. apb. 62. P. Væt. d. p. 178.* Sed uti hi de moribus Belgarum diferte loquuntur aut Gallorum, ita quoad mores Germanorum textus *supra* §. 23. descriptus ostendit, majorennitatem ipso jure non finire potestatem parentum, sed liberis saltem potestatem indulgere a patre impetrandi separationem bonorum.

9) An majorennitas liberorum sit modus finiendi potest. parentum?

## §. LII.

Id tamen constat simul, quod moribus Germaniæ ante majorennitatem liberorum, quæ pubertas vocatur in Constitutionibus Saxonice *Part. 2. Constit. 10.* (quia

10) An liberi minorenni dimittiposs. Ger- ex pot. par.



Germani totam minorennitatem solebant impubertatem & pueritiam vocare *vide supra §. 11.* unde nec differentiam inter tutelam & curam agnoscebant, separatio bonorum non liberaret filium aut filiam a potestate parentum, quia hoc videlicet repugnat moribus gentium. Non vero infrequens fuisse, in Germania, quod pater liberis etiam impuberibus strictè dictis bona assignaverit, patet ex Juris Svevici textibus *supra §. 19. & 22.* descriptis. Quod vero nuptias attinet, aliud dicendum esse arbitror in filia minorenni, (nam de filio vix casum fuisse dabilem puto,) quia transit in familiam mariti.

## §. LIII.

1) an vidua  
minorennis  
recidat in  
pot. parent.

Et supposuerunt hanc de filia assertionem Doctores dum novam quæstionem formarunt, an filia vidua recidat in potestate patris, in qua & ipsa dissenserunt, ut videndum est ex allegatis Voetio Autoribus *p. 259.* Verius, non recidere non tam ob rationes juris Romani, quam quod juri gentium sit conveniens potestatem semel extinctam non reviviscere sine novo consensu,

## §. LIV.

Scopus di-  
storum. Re-  
form. Fran-  
cof. Part. II.  
tit. 1. §. 8.

His ita hactenus deductis, jam intelligetur, quod tendat, Capitulum Reformationis Francofurtanæ, cujus gratia hanc dissertationem conscripsi. Deprehenditur illud *part. 2. tit. 1. §. 8. & 9.* Incipit §. 8. Die weil aber jezunder erlich mahl meldung geschehen / von der väterlichen Gewalt / auch hernacher in den andern theilen dieser Reformation, davon mehrmahls meldung geschehen wird. Damit dann solches den unsern desto verständlicher seye / so wollen wir allhie desselben eine kurze Erklärung thun. Und nemlich so ist Patria Potestas die Gewalt so ein Vater



ter auch väterlicher anherr / über seine Kinder und Enkel  
 len / Söhne und Töchter / hat / anfänglich und von al-  
 ters / allein bey den Römern auffkommen / auch folgendes  
 als ein Recht / durch die Römischen Keyser bestätiget /  
 und so ansehnlich und kräftig gehalten worden / daß die  
 Kinder mit Leib und Gut ihres Vaters und väterlichen  
 Anherrn (aber nicht also der Mutter und Anfrauen / wel-  
 che solche Gewalt nicht haben) eigen gewesen / was sie ge-  
 wonnen / denselben erobert / ohn ihr Vorwissen und Ver-  
 willigung nicht für recht stehen / nichts voraussern / ja auch  
 kein Testament / noch letzten willen machen / noch ordnen  
 mögen / also auch in solcher Gewalt bis ins ende ihres Le-  
 bens / oder so lang bis sie dessen wiederumb emancipiret /  
 daß ist / von dem Vater oder Anherrn ledig gegeben wor-  
 den / geblieben seind: welches dann vorzeiten mit sonder-  
 lichen Solennitäten / auch anders nicht / als vor der Obrig-  
 keit / und darzu nicht vergeblich (dann dem Vater dagegen  
 sein will gemacht werden müssen) geschehen und celebriret  
 worden. In hoc §. cum nihil aliud contineatur quam  
 descriptio summaria patriæ potestatis Romanæ, non est,  
 vt aliquid addamus, sed pergimus statim ad §. seq. 9. in  
 quo fit applicatio ad jus Germanicum.

## §. LV.

Nachdem aber folgendes bey andern / sonderlich auch  
 unser Teutschen Nation / oberzehlte alte recht / die väter-  
 liche Gewalt besagend / ob sie wohl nicht abgeschafft / son-  
 dern in ihren wüthen und Kräfften / (außerhalb der eman-  
 cipation, deren solennitäten gänzlich abgegangen) gelaf-  
 sen / doch ungleich gehalten / und aber dennoch oftmahls  
 (auch bey den Rechts gelehrten) in zweiffel gezogen wor-  
 den / wie und wann die Kinder / zu unsern zeiten emanci-  
 piret

Ejusd. re-  
 form. d. l.  
 §. 9.



piret und der väterlichen Gewalt entlediget/zuachten seyn:  
Solchen zweiffel bey den unsern aufzuheben/so ordnen und  
wollen wir/wann ein Vater seine Kinder/welche ihr mün-  
digs vollkündlich alter erreicht haben / ehelichen / mit einer  
gebührlichen eheseuer/ aus bestattet/ dieselben auch darauf  
von ihme dem Vater abgeschieden / ihre eigene Haushal-  
tung und Handhierung angefelt / eigen Haus / Feuer  
und Rauch / halten / daß solches für eine rechte emancipa-  
tion und daß sie die Kindere dardurch des väterlichen Ge-  
walts / nicht weniger / als wenn solches für der Obrigkeit  
oder für Gericht / solenniter geschehen wäre / vollkündlich  
entlediget seyn / gehalten soll werden.

S. LVI.

Notabilia  
hujus re-  
formatio-  
nis.

Quod Reformatio initio dicit patriam potestatem  
non esse in Germania abrogatam sed mansisse in suis vi-  
ribus, ejus rationem jam reddimus *supra* §. 24. *in fine*.  
Nam si quis conferat hoc caput Reformationis Franco-  
furtanae cum dicta constitutione Electorali *10. part. 2.* pa-  
tebit, compilatorem Reformationis eam maxime habu-  
isse prae oculis. In eo vero temperavit communem &  
erroneum loquendi modum, quod, etsi dicat, Patriam  
potestatem Romanorum mansisse in suis viribus apud  
Germanos, tamen addat eam diverso plane modo ob-  
servari apud Germanos, quod in effectu idem est ac si di-  
xerit, potestatem parentum Germanicam esse plane di-  
versam a Patria potestate Romanorum. In eo etiam ve-  
ritatem agnovit collector, dum dixit, emancipationum  
solennitates in Germania plane non esse in usu, etsi hy-  
pothesi communi inserviens dixerit in usu esse desuisse,  
quasi unquam in Germania fuissent in usu. Denique se-  
cutus in eo est communem loquendi modum, quod mos-  
dos



\*(4)\*

dos dimittendi liberos secundum mores Germanorum  
vocet emancipationem, & pro tali haberi velit.

§. LVII.

In eo vero abit a reliquis Constitutionibus Ger-  
manorum provincialibus, quod dum lites JCtorum ha-  
ctenus per indicem recensitas componere vult, & majore-  
rennitatem, & nuptias, & separatam oeconomiam con-  
junctim requirat. Nam eam fuisse ipsius intentionem,  
patet, quod expresse declaret, se velle tollere diffensum  
JCtorum, & postea hæc omnia tria conjunctim requirat.  
Sed vtrum tamen intentionem suam obtinuerit valde  
dubito.

Ejusdem  
specialis in-  
tentio.

§. LIX.

Nam secundum hanc ejus sententiam nec filius  
majorennis a patre seorsim habitans & bonis separatus,  
si ad huc coelebs sit, nec filia minorennis cum marito  
suo etiam seorsim habitans, nec denique tam filius quam  
filia post matrimonium in patris victu degentes libera-  
buntur à potestate parentum, quod uti juri gentium &  
moribus Germanorum antiquis adversum esse hæctenus  
ostendimus, ita præ eos patriæ nondum sum satis gna-  
rus, ut referre possim, an hæc dispositio etiam usu sit  
recepta. Sæpe enim contingit, ut Compilatores novio-  
rum constitutionum provincialium multa reformave-  
rint, quæ tamen ob varias causas hic non recensendas  
non potuerunt in usum transferri. Sane Ehrenfridus  
Klozius in *differentiis juris civilis & Reformationis Fran-  
cofurtanae ad h. tit. §. 9. n. 2.* postquam recensuisset, jure  
nostræ civitatis maturitatem ætatis, nuptias rite con-  
tractas, & proprium larem conjunctim requiri, subjun-

Dubia circa  
hanc refor-  
mationis  
dispositio-  
nem

F

git :



git: *quoniam moribus sola nuptia & sola institutio separata oeconomia sufficere videntur.* Et vellem scire, si Constitutio hæc patria secundum tenorem verborum deberet observari, quem effectum patria potestas haberet in tribus istis casibus, quos initio hujus

. § phi formavimus? sed hic Terminus esto.





## COROLLARIA.

I.

**A** pud Germanos veteres, teste Tacito plus valebant boni mores quam alibi bonæ Leges

II. Hi mores & consuetudines sequioribus temporibus collectæ sunt in speculum Saxonicum & Suevicum.

III. Postquam vero cæcus Juris Romani amor Germaniam invalit, Jus Germanicum ita negligi cœpit, ut illud quod planissimum erat, & ab imperitissimis intelligi poterat, hodie à plerisque iisque doctissimis JCrts nostris plane non intelligatur.

IV. Plurima tamen ex moribus Germanicis adhuc obtinent, licet cum Jure Romano & Canonico miserè misceantur utpote ex quibus triplicibus juribus chaos hodiernæ nostræ Jurisprud. constat.

V. Jus Romanum nunquam in Germania receptum est, nisi tanquam Jus subsidiarium.

VI. Prin-



VI. Princeps habet Jus aggratiandi in omnibus delictis, etiam homicidio.

VII. Crimen Simoniacum non est quod hodie ita appellatur, sed simplex crimen ambitus.

IIIX. Distinctio rerum in sacras, sanctas & religiosas ortum debet Gentilismo.

IX. Actio ad Palinodiam merè pœnalis est.

X. Testamenta tanquàm instrumenta ambitionis, vindictæ & invidiæ jure suo ignorarunt Germani, eorumque usum in Germaniam induxit Clerus Pontificius propter interesse piarum causarum.

XI. Principium papisticum: Matrimonium esse Sacramentum, adhuc multum regnat in judiciis Protestantium, cum ibidem pleræque causarum Matrimonialium decisiones quæ tanquam conclusiones ex illo principio deducuntur, observentur.



ULB Halle  
005 373 603

3











1703 33<sup>2</sup> XXVIII. 126  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE

# QVASI EMAN- CIPATIONE GER- MANORUM,

*Occasione Reformationis Francofurt. Part. II. tit. I. §. 9.*

QVAM

IN ILLUSTR I FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
DOMINO

**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE, ELECTORATUS, AC PROVIN-  
CIARUM HEREDE, ET RELIQA,  
P R A E S I D E

**DN. CHRISTIANO THOMASIO,**  
JCTO, S. REG. MAJ. BORVSS. CONSIL. PROF. PUBL.  
ET FACULT. JURIDICAE DECANO,

**PRO GRADU DOCTORIS**  
PRIVILEGIISQVE IN UTROQVE JURE OBTINENDIS,  
D. VIII. Septembris A. M DCCIII. horis locoq; consuetis  
Publico Eruditorum Examine submittit

**ZACH. CONR. UFFENBACH,**  
MOENO-FRANCOFURTANUS.

Typis CHRISTOPH. ANDREAË ZEITLERI, Acad. Typogr.